



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. Quænam sit forma Baptismi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Iudeorum suscepisse Baptismum, quod per effusionem aquae super caput singulorum, aut singulorum immersionem difficile fieri potuit, facile verò per asperisionem, quia unicuique aut paucis saltem asperisionibus omnes baptizari poterunt.

67. Monet tamen D. Thomas art. 7. tutius esse baptizare per immersionem, quam per asperisionem, aut effusionem, siquidem esse baptizandum sub pena peccati, nisi aliud postulet necessitas aut honestas. Verum ita loquitur S. Doctor, quia adhuc temporibus ipsius non erat immutatus in Ecclesia ritus baptizandi per immersionem, unde peccasset tunc qui aliter, seclusa necessitate, baptizasset, utpote recedens in re gravi ab Ecclesiae consuetudine. Sed modò consuetudo illa est ab Ecclesia rejecta, sicut auctoritate Ecclesiae fuerat introducta, & solet ubique Baptismus conferri per effusionem aquae super caput baptizandi. Cœpit autem hæc consuetudo propter infantium tenebrarum, cum modò rarissimus sit adultorum Baptismus, qui posset immersionem sufferre.

68. Ex his collige, quod quamvis fuerit olim consuetudo baptizandi per trinam immersionem, nunquam tamen trina immersio fuit de necessitate Baptismi, sed unica fuit sufficiens, ut patet ex allata responsione Gregorii, quæ uterque baptizandi modus, in una scilicet vel trina immersione, probatur.

69. Dices ex Pelagio Papa in Epist. ad Gaudentium, utrefertur de consecratione dist. 4. Can. Multi: *Evangelicum præceptum ipso Deo & Salvatore nostro Iesu Christo dicente & tradente nos admonet, in nomine Trinitatis, trinam etiam immersionem, sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Et ex Canonibus Apostolorum, ut habetur eadem dist. Can. Si quis: *Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergam Baptismate, quod dari à quibusdam jubetur in morte Domini, deponatur.*

70. Respondeo ad primum eum D. Thomas hic art. 2. Summuti illum Pontificem, per se & directè solum definire, invocationem Trinitatis esse de substantia Baptismi; quia tamen illo tempore invocatione illa fieri solebat trinâ immersione, idè utramque conjunxit, quamvis non sit æqualis utriusque necessitas.

71. Ad secundum dicendum antiquitùs fuisse præceptum Ecclesiasticum, seclusa necessitate, baptizandi trinâ mersione, quod qui fuisset transgressus, jubetur in citato canone deponi: modò verò præceptum illud abrogatum esse per contrariam consuetudinem.

72. Nec obstat quod quidam SS. Patres, ut Hieronymus adversus Luciferianos, Tertullianus libro de corona militis, & alii, ritum Baptismi trinâ immersione numerent inter traditiones non scriptas. Licet enim traditiones divinæ sint invariabiles omnino ab auctoritate humana, secus verò traditiones humane, cum non aliam vim habeant, quam juris humani Ecclesiastici, quod pro temporum varietate sæpe mutari necesse est: ritus autem ille baptizandi trinâ mersione, vocatur à prædictis Patribus traditio, non divinâ, sed humanâ auctoritate introducta.

73. Inferes sextò, quod quando ablutio fit per immersionem, emersio non est necessaria ad valorem Baptismi: unde qui puerum projiceret in puteum, animo ipsum baptizandi & suffocandi, si veram formam Baptismi proferret, antequam puer suffocaretur, verè ipsum baptizaret: in illo

Tom. V.

A enim casu esset vera ablutio, subindeque vera materia proxima Baptismi. Nec termini immersionis & emersionis sunt semper correlativi, nam quando piscis, qui nascitur in aqua, exit foras, dicitur emergere ex aqua, licet non præcesserit immersio.

74. Dices Baptismus est signum sepulture & resurrectionis Christi, juxta illud ad Colossenses 2. *Consepulsi Baptismo ei in quo & resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui eum suscitavit à mortuis.* Sed hæc significatio & repræsentatio non potest fieri nisi per immersionem, cui succedit emersio: Ergo Baptismus collatus per immersionem, non est validus, nisi immersioni succedat emersio.

B Respondeo concessa Majori, negando Minorem; Baptismus enim est figura mortis & resurrectionis Christi, in quantum per illum morimur peccatis, & ad gratiam resurgimus; quod totum significari potest per solam immersionem, utpote quæ est vera ablutio, atque aded significat emundationem à peccato, & ex consequenti gratiam, sine qua nec fieri nec concipi potest.

75. Inferes septimò, ad Baptismum non esse necessarium totum corpus abluere, sed satis esse si abluatur pars aliqua principalis, & sufficiens, ut totus homo moraliter denominari possit baptizatus, quamvis caput sit semper abluendum, si commodè fieri possit, quia est pars potissima, in qua vigent omnes sensus: quapropter qui extra necessitatis articulum, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re gravi contra communem Ecclesiae consuetudinem ageret. In casu autem quod absque periculo gravis nocuementi caput abluere non posset, sufficeret ablutio in pectore, aut in scapulis; vel si istæ partes etiam commodè abluere non possent, in aliqua parte integrali, quæ sit tanta, ut sine ea anima in corpore conservari non possit. De aliis partibus jure dubitant Theologi, an in eis sufficiat ablutio, subindeque num puer ablatus solum in pede extracto ex utero vel in manu, aut brachio rebaptizandus sit sub conditione? quamvis in periculo mortis debeat quæcumque pars infantis emergens ex utero baptizari, quia cum non sit omnino certum, quamlibet partem infantis ablutam non sufficere, satius est in tali dubio exponere sacramentum periculo nullitatis, quam animam æternæ damnationi expositam, probabili remedio destitutam relinquere.

ARTICULUS III.

Quanam sit forma Baptismi?

Dico primò: Hæc est conveniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita definitur in Florentino in decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Christi Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

76. In hæc Baptismi forma in primis particula *Ego* non est necessario, quia Ecclesia approbat Baptisma Græcorum in hac forma, *Baptizetur servus Christi &c.* In qua formaliter non exprimitur persona ministri: hoc enim termino *Baptizetur*, non intendunt Græci explicare actionem baptizandi ut egreditur à ministro, sed tantum prout est à causa principali, ad vitandum errorem eorum qui virtutem Baptismi attribuebant baptizan-

ptizantibus, dicentes, *Ego sum Pauli, ego Cepha &c.*

79. Secundò, quo ad particulam *Te*, certum est ad valorem Baptismi personam baptizandam debere exprimi in forma: Tum quia id requirit natura talis sacramenti consistentis in usu & applicatione materiæ ad subiectum. Tum etiam quia debet explicari in forma Baptismi distinctio necessaria inter baptizantem & baptizatum, tanquam inter generantem & genitum: non explicaretur autem sufficienter, si non exprimeretur ipse baptizatus, sed diceretur solum, *Ego baptizo*, quia posset manere dubium, an hoc diceret baptizans de se ipso, vel de alio.

80. Tertiò, particula *in nomine*, ita est de essentia formæ Baptismi, ut si quis diceret *in nominibus*, nullum esset sacramentum, quia significaret falsum, nimirum non esse eandem essentiam & virtutem trium personarum; idem enim est in nomine, ac in virtute, potestate, & autoritate.

81. Denique, in forma Baptismi cum unitate essentia, denotata per *ly in nomine*, necessariò exprimi debet Trinitas Personarum, sub propriis nominibus *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*. Unde non valet Baptisma collatum in nomine Trinitatis, vel Dei Trini, non nominatis distinctè personis: neque in nomine unius aut duarum tantum personarum; neque etiam si fiat mutatio in voces appropriatas & non proprias, ut si dicatur, *In nomine omnipotentis, sapientis, & doni*: nec denique si dicatur in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ: Christus enim instituit dari Baptismum sub propriis nominibus *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, unde si talis desit expressio, Baptismus nullius erit efficacia. Cur autem voluerit Christus expressionem Trinitatis Personarum essentiali esse Baptismo, non verò omnibus aliis sacramentis, alia assignari non potest, quam ejus voluntas; non desunt tamen congruentia, quarum præcipua est, quod conveniens fuerit in sacramento regenerationis exprimi ejus principium: unde Fulgentius de fide ad Donatum cap. 9. *Baptizari Genes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Salvator noster docuit, ut sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, divinae adoptionis gratia frui mereamur*. Item congruum fuit, in sacramento fidei exprimi præcipuum ejus objectum; cognosci expressè eum cui datur fides in Baptismo, & eum cum quo contrahitur tanta obligatio; ac denique proponi finem ultimum & objectum præcipuum nostræ beatitudinis, in sacramento quod per se est initium nostræ justificationis, & tendentiæ ad beatitudinem supernaturalem.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes Theologos, sed duplex est difficultas & controversia, breviter hic resolvenda. Prima est, an Baptismus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque collatus, validus sit? Secunda, an modò valeat Baptismus in solo nomine Christi collatus? Pro resolutione primæ difficultatis

82. Dico secundò, Baptismum in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, non esse validum. Est contra Cajetanum, Victoriam, Martinum Ledesnam, Vivaldum, & Martinonem, existimantes hæc omnia Genitor, Genitus, & Procedens ab utroque, esse planè synonyma in divinis, cum nominibus *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, idemque formaliter significare. Opposi-

tum docet D. Thomas hic art. 5. ad 7. ubi sic dicit: *Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eum aqua est communior ad ablendum: ita ad significandum tres personas, in forma Baptismi assumuntur illa nomina quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum*. Sed nomina illa quibus communius consueverunt nominari personæ de vine, sunt ista, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Ergo in aliis nominibus non perficitur Baptismus, subindeque si conferatur in nomine *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, invalidum erit.

Responder Cajetanus, D. Thomam non loqui de perfectione sacramenti, quantum ad essentiam, sed quantum ad præceptum; subindeque peccatum quidem cum qui sub aliis nominibus, quæ *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, Baptismum conferret, sacramentum tamen fore validum.

Sed contra primò: Hæc Glossa, ut ait Soto, manifestè adversatur textui, nam ubicumque D. Thomas & alii Doctores asserunt sacramentum non perfici, intelligunt sacramentum esse nullum.

Deinde, ut rectè ponderat Serra, cum D. Thomas eodem articulo in resp. ad 1. dicit, quod in forma Græcorum, verum perficitur sacramentum, ipse Cajetanus & omnes id intelligunt de perfectione quantum ad essentiam: Ergo ex adverso cum in resp. ad 5. ait sub aliis nominibus, quæ *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, non perficitur sacramentum, intendit sacramentum esse nullum, & carere eo quod requiritur ad ejus essentiam.

Præterea idem S. Doctor in 4. ad Annibaldum dist. 5. quæst. unica art. 2. ad 4. sic ait: *Dicens quod genitor, cum sit nomen verbale, non significat personam ut hypostasim subsistentem, sed magis per modum actus: unde si dicatur, in nomine Genitoris, & Geniti, non erit Baptismus*. Quibus verbis non solum Glossam Cajetani penitus destruit, sed etiam præcipuum ejus fundamentum omnino convellit, rationemque istam infirmat, quæ potest secundò probari conclusio. Ad valorem sacramenti Baptismi necessarium est ut in forma exprimantur ea verba quæ Christus instituit vel alia synonyma, & idem significantia. Sed verba illa, *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, non significant idem quod *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: Ergo ad valorem Baptismi non sufficit exprimere nomina *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*. Major est certa, & illi in me innititur Cajetanus; Minor verò quædam est, sic ostenditur. Pater significat subsistentiam primæ personæ, seu relationem quæ constituitur in ratione talis personæ; Genitor autem non significat subsistentiam seu relationem, sed actum notionalem, qui est veluti fundamentum ipsius subsistentiæ, seu relationis, & quo Personæ Divine non constituuntur formaliter, ut in Trinitate dispartit, ostensum est: Ergo nomina *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, non significant idem formaliter, quod nomina *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*.

Dices cum Cajetano: Concilium Florentinum definit, illam formam esse ad Baptismum sufficientem, in qua exprimitur actus baptizandi, cum Sanctæ Trinitatis invocatione: Sed utrumque sit in proposita forma: Ergo in illa valde potest conferri Baptismus.

Confirmatur: Hæc nomina *Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque*, significant idem quod *Pater*

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; unde potest quilibet indifferenter invocare & laudare Trinitatem sub primis aut secundis nominibus, ut patet ex hymno Ecclesiastico à Divo Thoma edito, in quo sic canit Ecclesia: *Genitori, Genitoque, laus & inoblatio: Procedenti ab utroque compar fit laudatio.* Ergo &c.

Ad objectionem dicendum, Florentinum cum requirit ut exprimaturs actus baptizandi cum sanctissimæ Trinitatis invocatione, nomine Trinitatis, intelligere ipsas personas divinas distinctè significatas, ut ex ipso textu manifestum est, nam paulò antea declaraverat, formam Baptismi contineri expressâ illâ significatione Trinitatis: *Ergo baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Ad confirmationem respondeo Antedens esse falsum, ut patet ex nostra ratione: quamvis enim materialiter loquendo idem significant *Genitor, Genitus, & Procedens* ab utroque, ac *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, non tamen formaliter, neque secundum communem & usitatum modum intelligendi; hæc enim nomina, *Pater & Filius*, formaliter significant ipsas relationes Paternitatis, & Filiationis, quibus divinæ personæ constituuntur & distinguuntur; ista verò, *Genitor, & Genitus*, exprimunt actus notionales, quæ sunt fundamenta talium relationum: unde sicut ista nomina, *albedo & similitudo*, non sunt synonyma, nec idem formaliter significant; cum unum fundamentum relationis similitudinis; aliud verò, ipsam relationem significet, ita nec illa.

Ad id quod subditur dicendum, quod licet extra sacramentum possit quis invocare Trinitatem sub nominibus *Genitoris, Geniti, & Procedentis* ab utroque, & de facto Ecclesia sub nominibus illis eam sæpè invocet & laudet, non tamen in ipso sacramento Baptismi, tum propter Christi institutionem, tum etiam quia incertum est, an hæc nomina sint omnino synonyma cum nominibus *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, & probabilius est quod non: in rebus autem moralibus, præsertim verò in materia sacramentorum, non licet seque opinionem minus tutam & minus probabilem, relicta tutiori & probabiliori: unde si aliquis sub forma illa Cæterani baptizatus esset, saltem sub conditione, rebaptizandus esset.

Dico tertio: Baptismum in nomine Christi collatum invalidum esse. Est contra Magistrum sententiarum, Hugonem Victorinum, Alensem, Adrianum, Cæteranum, & alios: est tamen D. Thomæ hic art. 6. & Discipulorum ejus, & colligitur manifestè ex supra dictis: Christus enim instituit Baptismum dari in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Sed nomen Christi cum nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, synonymum non est, cum unam duntaxat personam, scilicet personam Filii, ut in humana natura subsistentem, significet: Ergo Baptismus in nomine Christi collatus, invalidus est. Nec obstat (inquit S. Doctor) quod in nomine unius persone intelligatur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis: unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimaturs; unde & in Baptismo Christi (ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi) affuit Trinitas.

Tom. V.

nitatis in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba. Et ita Zacharias Papa de consecratione dist. 4. cap. In Synodo, probans decretum cuiusdam Concilii Anglicani super hac re editum, sic inquit: *Si quis unum de Trinitate personarum in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset.* Et Pelagius Papa eadem dist. cap. sic vera, scribit Gaudenzio Episcopo: *Si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodo in nomine Domini Baptizatos fuisse confitentur, sine cuiusque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes, in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Quibus verbis manifestè supponit, Baptismum collatum in nomine Domini esse invalidum: pro eodem autem accipit *In nomine Domini*, ac *In nomine Christi*: tum quia nullus unquam fuit usus baptizandi in nomine Domini præcise, sed solum in nomine Iesu Christi. Tum etiam, quia idem Pontifex in eodem decreto de illis loquitur de quibus dicit: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi se asserunt baptizare.*

Obicies: Actorum 8. dicitur: *In nomine Iesu Christi Baptizabantur viri & mulieres.* Et iterum: *Baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* Et cap. 2. Petrus dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Et cap. 10. idem Apostolus iussit aliquos Gentiles baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Denique cap. 19. dicitur aliquos qui baptizati tantum erant Ioannis baptismo, baptizatos fuisse in nomine Domini Iesu; Ergo baptisma in nomine Christi collatum validum est.

Respondet Pater Nicolaus in Scholiis ad art. 6. huius quæst. & in additionibus ad Raynerium; verbo *Baptismus*, capite 1. quod cum in actibus Apostolorum quidam dicuntur baptizati in nomine Christi: per ly, in nomine Christi, intelligitur in fide Christi, vel in professione fidei Christianæ, quæ à Christo denominatur ut à proximo institutione, vel objecto; juxta illud Actorum 16. *Crede in Dominum Iesum.* Et Actorum 19. versu 4.

Iohannes baptizavit baptismum pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum. Vbi & adiungitur eos, quibus hæc Paulus loquebatur, iis auditis baptizatos esse in nomine Domini Iesu: quasi diceretur in fide illa Iesu &c. Ita ut in nomine Iesu non sit intelligendum ex parte baptizantis, quantum ad formam baptizandi, sed ex parte solius baptizanti, quantum ad professionem fidei; quam in baptismo emittebat: quia in ipsa fide Christi continebatur implicite fides totius Trinitatis, omniumque salutis nostræ mysteriorum, quæ operatus erat Christus, & quæ suis proposuerat credenda, seu per ipsam sui nominis professionem confitenda. Hæc solutio probabilitate non caret, eamque etiam tradit Soro in 4. dist. 3. quæst. unicâ art. 6.

Secundò respondet Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. ad 7. quod quando in actibus Apostolorum, in nomine Iesu Christi Apoli baptizasse dicuntur, non putandum est, eos propterea Spiritus Sancti, Patrisque nomen omisisse; sed illorum nomina in forma, quâ baptizabant, cum nomine Iesu Christi expressisse.

Hæc etiam solutio valde probabilis est, & consona doctrinæ Sanctorum Patrum, præsertim Cypriani & Augustini. Primus enim Epist. 73. post

Q ij

post

post medium, referens quod Actorum 2. dixit Petrus, Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, sic explicat: Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quod Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filii adjungeretur. Alter verò libro 3. contra Maximinum cap. 17. Qui Patre (inquit) & Spiritu Sancto nominatis, iussi sunt baptizari, non intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex quo & argumentum ducit, ut cum alibi non exprimitur, subintelligi tamen debeat. Huic consonat quod Abdias Babylonius & alii scribunt, nimirum in exordio nascentis Ecclesiae Apostolos his verbis baptizare solitos: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii eius, Jesu Christi, & Spiritus Sancti.

95. Respondet tertiò S. Thomas hic art. 6. ad 1. Quod ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. Eandem solutionem & doctrinam tradunt Alensis, D. Bonaventura, Alciudorensis, Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Major, Marsilius, Soto, Sylvester, Tabiena, Armilla, Valentia, Tolerus, Bonacina, & alii, quos refert & citat Martinez à Prado hic dubio 5. §. 5. eamque probabilem esse indicat Catechismus Romanus capite de Baptismo, ubi sic habet: Si aliquando tempus fuisse dicendum est, quod Apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiae, Jesu Christi nomine predicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa eius potestas magis celebraretur &c.

96. Hanc tamen solutionem & doctrinam D. Thomae & antiquiorum, omnino improbabilem esse existimant Suarez, Vazquez, Granado, & alii Recentiores, contendentes nusquam, etiam Apostolorum tempore, validum fuisse Baptisma in nomine solius Christi collatum, idque suadere conantur primò ex Scriptura: nam Actor. 19. cum Paulus aliquos, qui se Christianos esse profitebantur, interrogasset, An Spiritum Sanctum acceperunt? Illique respondissent: Neque si Spiritus Sanctus est audivimus: subiecit Paulus, In quo ergo baptizati estis? At hæc secunda interrogatio non fuisset congrua, si in Baptismo, Apostolorum tempore, & initio nascentis Ecclesiae, non nominaretur Spiritus Sanctus, sed Baptismus in solo Christi nomine conferretur; neque enim admirabile fuisset eos baptizatos fuisse, nec tamen audivisse nomen Spiritus Sancti: Ergo etià Apostolorum tempore, fideles in nomine trium Personarum Divinarum, non verò in solo Christi nomine baptizabantur.

97. Secundo in Canone 49. Apostolorum præscribitur, ut in nomine Patris & Filii Baptisma conferatur, nullà ibi invocationis Christi nominis mentione appositâ. Item Can. 50. Baptismus in nomine Christi collatus rejicitur, & ratio assignatur: Non enim docet nos Dominus in morte sua baptizare, sed in nomine Patris &c.

98. Tertiò, Unicum tantum est specie Baptisma in Ecclesia, ut patet ex Symbolo fidei, & ad Ephes. 4. Si autem Apostoli in nomine Christi baptizassent, cum illa forma fuisset diversa ab ea quâ nunc baptizamus, constituisset diversum specie Baptismum in Ecclesia: Ergo &c.

A Denique, Apostoli habebant Matin. ultimum, cens mandatum de Trinitate distinctè nominanda in forma Baptismi: Ergo non est credibile, pos in solo Christi nomine baptizasse.

Hæc tamen levia sunt, & facillè diluuntur, Ad primum enim, quod valde tenne esse tenent Vazquez, respondeo, semper etiam temporibus Apostolorum moris fuisse, ut adultis Baptismus non administraretur, nisi præmitteretur doctrina fidei, in qua Mysterium Trinitatis præsertim baptizando credendum proponebatur, & explicabatur Baptismus operari salutem in Spiritu Sancti virtute. Unde hic est verus interrogatus

B nis Pauli sensus: Coapostoli mei non baptizant, nisi prius Spiritum Sanctum esse, Baptismusque in eius virtute operari doceant: vos ergo qui Spiritus Sanctus sit nondum audistis, in cuius virtute baptizati estis? Ex quo nihil contra doctrinam & solutionem D. Thomae colligi potest, quandoquidem licet in solo nomine Christi baptizati fuissent, tamen cognovissent, ex catechismo præcedenti Spiritum Sanctum.

Ad secundum respondeo, idè solum in Canone 49. mentionem fieri de forma Baptismi in nomine Patris & Filii &c. non verò de alia in nomine Christi, quia licet ista etiam esset valida, non tamen perpetuò duratura in Ecclesia, sicut alia, sed solum ad tempus: Canon autem non debet esse nisi de forma in Ecclesia perpetuò duratura. Quantum verò ad Canonem quinquagesimum dico ibi reprobari Baptisma in morte Christi collatum, propter errorem quorundam hæreticorum, qui existimantes Christum esse purum hominem, nec dici filium Dei, nisi propter merita, quæ præsertim morte sua consummaverat, consequenter baptizabant in commemorationem mortis Christi: Sed nihil inde contra doctrinam D. Thomae, quandoquidem nihil ibi de Baptismo in nomine Christi.

Ad tertium in primis dico Baptisma dici unum, quia iterari non potest, & nequit nisi semel sumpi, ut patebit ex dicendis articulo sequenti. Vnde quia, ut alii exponunt, licet sint plures ministri baptizantes exteriùs, unus est qui interiorè baptizat, scilicet Christus. Vel etiam unum quidem contra divinam dispensationem dari Baptisma in Ecclesia, ex speciali tamen Christi dispensatione, aliud interdum posse existere, & de facto extitisse in nascentis Ecclesiae exordio, ob rationem à D. Thoma & Catechismo Romano assignatam: cum enim nomen Christi, inter nova nascentis Ecclesiae incunabula, Judæis ac Gentilibus odiosum esset & infame, ut amabile redderetur & augustum, decuit ex speciali ipsius dispensatione, ut Apostoli illo nomine, nedum ad miracula patranda, sed etiam ad baptismalem gratiam conferendam uterentur, & Baptismus non sub forma solita, sed tantum sub istis verbis, In nomine Christi, conferretur. Nec valet quod ait Suarez, Christi nomen latè cohonestari, & reddi amabile, si ingreditur formam Baptismi, una cum nominibus Patris, & Spiritus Sancti. Nam perinde iudæi inde anam acceperunt calumniam, & diffident Apostolos gratis nomen Christi aliis assignare, & Spiritum Sanctum, ac gratiam, non in Christi nomine, sed in aliis quibuscumque miscere communicari. Adde quod, multò magis amabile redderetur nomen Christi, si solum ponebatur in forma Baptismi, quia quando aliquod nomen est solum, multò magis ad ipsum, & ad eius virtutem advertimus.

107. Ad ultimum respondeo solum concludere, quod tempore Apostolorum debuit Baptismus administrari etiam interdum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod non negamus: licet enim dicamus quod sæpe Apostoli in solo Christi nomine baptizarent, ut locis supra citatis legitur, fateatur tamen quod sæpe etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizabant: imò postea cessante causâ dispensationis, & Christi nomine per totum orbem diffuso, & à Iudæis ac Gentilibus agnito, eâ tantum formâ usi sunt, & tunc Baptisma in solo Christi nomine collatum fuit invalidum.

108. Dices, Nicolaus Papa (ut habetur de Consecrat. dist. 4. capite *A quodam Iudæo*) ad consulta Bulgavorum, qui ab eo petierant, quid esset agendum de multis à quodam Iudæo baptizatis, responderet, quod si in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent, & rationem reddit, quia unum idemque est Baptisma in nomine Trinitatis, & in nomine Christi, ut S. Ambrosius exponit: Ergo Baptisma in solo Christi nomine collatum, etiam post Apostolorum tempora, fuit validum.

109. Respondeo cum Soro, quod licet Nicolaus revera arbitratus sit quod tempore suo valeret Baptisma in nomine Christi, hoc tamen non decrevit ut Summus Pontifex, sed ut Doctor particularis, tanquâ opinionem, quam putavit esse Ambrosii, summi namque Pontifices quod extra Concilium decernant, non semper constituunt tanquam articulum fidei, maxime quando Authorem citant, & ideo, non obstante tali decreto, sequi debemus contrariam doctrinam, quæ autoritatibus aliorum Pontificum, & SS. Patrum validius comprobatur.

ARTICULUS IV.

An Baptismus possit iterari?

110. Marcionista olim (ut refert Epiphanius hæresi 42.) tria Baptismata eidem homini concedeant, si post primum in alia peccata laberetur: unum in infantia, ad delendum peccatum originale; alia duo in adulta ætate, ad imitationem Christi, qui & Baptismo Ioannis, & postea proprio sanguine baptizatus est. Quidam etiam ex Anabaptistis huius temporis, repaptizant eos, qui post semel susceptum Baptismum fidem abnegaverunt, ut refert Valentia hic quæst. 1. puncto 4. Augustinus verò libro 2. contra Petilianum Donatistam cap. 27. innuit etiam Donatistas duo admisisse Baptismata, unum pro iustis, & illud pro iniustis: quare illi non erant totaliter immunes ab hæresi rebaptizantium, quidquid in contrarium dicat Vazquez disp. 146. c. 2. n. 4. Unde S. Thomas 4. contra Gentes c. 59. in fine sic ait: Cum Baptismus sit quadam consecratio hominis baptizati, non est iterandum Baptisma: per quod excluditur error Donatistarum, vel Baptizantium. His præmissis, ut fidei Catholica veritas stabiliatur.

Dico breviter, Baptismum iterari non posse, id est eidem subiecto semel verè baptizato, iterum validè conferri. Patet ex Lateranensi cap. firmiter, Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino sess. 7. Can. 11.

111. Colligitur etiam ex illo ad Hebræos 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus revocari ad poenitentiam, rursus

A crucifigentes sibi metipsum Filium Dei, & ostentus habentes. Licet enim aliqui hæretici, imò & Catholici quidam, hunc locum intelligant de poenitentia; hæretici quidem, ut probent peccata post Baptismum commissâ esse irremissibilia; Catholici verò, ut ostendant difficile remitti: tamen D. Augustinus libro de vera & falsa poenitentia, censet esse de Baptismo intelligendum, sicut & D. Chrysostomus homil. 9. in Epist. ad Hebræos, & multi alii; & merito, ut enim infra dicemus, in Baptismo commorimur Christo & conspelimur, unde quia semel Christus mortuus est, iterare Baptismum, est agere contra eius significationem, & falsò Christi mortem & sepulcrum repræsentare. Quare sensus verborum Apostoli est: impossibile esse eos qui semel baptizati sunt (cum enim Baptismus sit sacramentum fidei, congruè significatur nomine illuminationis) rursus renovari ad poenitentiam, id est per Baptismum iterum habere remissionem peccatorum: cuius rationem assignat, quia hoc esset in semetipsis rursus crucifigere Christum.

Probat etiam D. Thomas hic art. 9. conclusionem nostram ex illo ad Ephesios 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*: quod testimonio utitur etiam S. Leo relatus de consecratione dist. 4. cap. Cum itaque, dicens: *Scimus quidem inexpressibile esse facinus, quoties juxta Hæreticorum dogmata, contra Sanctorum Patrum instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismo sacramentum.*

Eandem veritatem confirmat S. Thomas variis congruentiis, quarum prima est, quia Baptisma est quædam renascentia spiritalis, juxta illud Christi Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Quare sicut nativitas carnalis unica est, ita unicum debuit esse Baptisma, & congruum est illud non posse iterari, sicut nec carnalis generatio. Unde Augustinus Tractatu 11. in Ioan. exponens illud Ioannis 3. *Nunquid potest homo in ventrem matris sue iterato introire, & renasci? Sic tu (inquit) intellige nativitatem Spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec Baptismus.*

Secunda: Baptismus est figura mortis & resurrectionis Christi, quia per illum morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ, juxta illud Apostoli ad Romanos 6. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum, in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: Ego sicut Christus semel tantum mortuus est, & resurrexit, ita conveniens est, ut homo semel tantum baptizetur.

Dices, Eucharistia est representatio mortis & passionis Christi, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*; & tamen sacramentum Eucharistiæ quotidie iteratur: Ergo licet Baptismus sit figura mortis & sepulture Christi, poterit nihilominus iterari.

Respondet S. Thomas hic art. 9. ad 5. *Quod utrumque sacramentum, scilicet Baptismi & Eucharistiæ, est representativum Domini & mortis & passionis, aliter tamen, & aliter: nam in Baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo*

Q. iii

Christo